

QV. 521, 2

(X1904226)

B. m. II, 1



D. C. A.

**FORTUNAE
LITERATORUM
VARIETATEM**

Exemplo

DES. ERASMI ROTEROD.

demonstratam,

P R A E S I D E

M. JO. CASP. LOESCHERO,
Erfurt.

Ad. XXI. Octobr. M DC XCIX.

Differendo exponet

CHRISTIANUS *Sischer*

Werthav. Misnic.

Horis locoque consuetis.



VITEMBERGAE,
Typis CHRISTIANI SCHROEDTERI, Acad. Typogr.



12



D. C. N.
FOR TUNA

LIT RATORUM

VARIETATEM

Exemplis

DES ERASMI ROTEROD.

de

RAE 21 DE

M. JO. CASP. FOESSCHERO.

Edidit

M. X. L. C. N. D. C. N.

De

CHRISTIANUS

de

CHRISTIANUS

15



7.
FORTUNÆ LITERATORUM
VARIETAS

DES. ERASMI ROTEROD.
EXEMPLO DEMONSTRATA.

§. I.



Vod plerumque in communi vita usu venire solet, ut omnis conditionis homines variis expositos casibus fortuna exerceat, id maxime literatorum statui convenire nemini obscuro est; quod praeter alios vir doctissimus *Pierius Valerianus*, edito de infelicitate eruditorum libro, & qui eundem suis observationibus auxit, *Cornelius Tollius* cumulate planum fecerunt. Ex quo fit, ut tantum non omnia, quae de viris ingenio ac doctrina praestantibus, (sive illorum mores ac vitam spectes, sive res gestas eorum respicias) notatu digna occurrunt, ejusdem videantur esse argumenti. Enimvero omnibus exploratum est, fortunam vitamque doctorum ita comparatam esse, ut alii multa de ipsorum doctrina ac meritis praedicent, alii vero maledico eos dente carpant. Inter omnes sui seculi Philosophos solus fere eminebat *Aristoteles*, qui tamen, multis in eum acerbis invehentibus indignissimam fortunam subiit: cujus in sola Parisiensi Academia fortunam variam *Joannes Launojus* peculiari libro persecutus est, ex quo de variis Philosophi fati non potest non judicari. Quam inique de Homero *Alexander Tassonus*, de Platone *Georgius Trapezuntius*, de Cicerone *Gvilielmus Grocinus*, de eodem & Virgilio *Joannes Ciampolus*, de Livio *Paulus Benius*, de Plinio *Nicolaus Leonice-nus*, de Persio *Josephus Scaliger* & *Caspar Barlaeus*, de aliis alii non existimarunt? Non dissimilis fuit fortuna recentiorum, scriptorum *Julii Caesaris* & *Josephi Scaligerorum*, *Joannis Reuchlini*,

Philippi Melancthonis, Conradi Gesneri, Justi Lipsii, Caroli Sigonii aliorumque, qui principem quondam locum in literis tenuerunt. Sed quid exempla colligo, eum ex solius ERASMI, quem ROTERODAMUM appellant, Eruditorum sui temporis facile Principis, exemplo res satis dilucide appareat? Ea igitur de causa constitutum est mihi de varia ejus in literis fortuna differere, quod, ut bene feliciterque evenire jubeat, Divinum numen inplex veneror.

§. II.

Antequam vero ad caput rei progrediar, operae pretium, duxi me facturum, si vitam incomparabilis Erasmi breviter enarrarem. Natus autem est noster anno seculi decimi quinti sexagesimo septimo, & cum ab ineunte aetate maxima literarum cupiditate flagraret, *Alexandri Hegii*, doctissimi literarum in Germania vindicis, curae fideique commissus est, a quo optimis artibus ad humanitatem informatus ingenio & doctrina abundare caepit, omnesque sui similes eruditione ac industria longe anteivit. Eam ingenii alacritatem Hegium haud raro admiratum futuraeque ipsius gloriae non vanum augurem fuisse perhibent. Cum igitur omnia avide arripisset, literis morumque suavitate brevi ad doctrinae & ingenii nomen aliquod pervenit, & in praestantissimorum virorum numero habitus fuit, quam sibi laudem atque existimationem non in patria solum, verum apud externos etiam, maxime in Italia collegit. Quippe diu in fertilissima hac Europae parte versatus & Doctoris dignitatem consecutus est, multosque & eos doctissimos ibi confecit libros, ac tandem a Romano Pontifice Regibusque summis frustra expetitus Basileam concessit, ut, quod reliquum erat vitae, ibi traduceret. Tametsi autem postea religionis causa Friburgum petierit, nihilo tamen secius se iterum Basileam contulit, & cum annos fere septuaginta confecisset, in ea Musarum ac literarum sede vita excessit. Cum extremum spiritum edidisset multi literatorum mortem ejus luxerunt, summamque integritatis ac doctrinae

Erinae laudem ipsi tribuerunt. Plura legi possunt apud *Paulum Merulam*, *Petrum Scriverium* & alios qui summi viri vitam & res gestas exposuerunt.

§. III.

Vita jam breviter enarrata ab instituto nostro non alienum esse existimavi, si singularia quaedam, quae ad ipsius vitam illustrandam pertinere videntur, breviter enumerarem, hisque expeditis viam mihi ad reliqua munirem. Exordior autem merito ab Erasmi patria, quam Roterodamum esse plerique arbitrantur, quos errare putat *Theod. Jansonius ab Almeloveen in Amoenitatibus Theologico-Politicis* eumque Goudae, quae celebris ejusdem regionis civitas est, hanc lucem primum aspexisse, nec non initi antea consilii, quod scilicet Roterodamus nominari maluerit, ipsum poenituisse, conatur persuadere. Cum Gerhardi nomen ipsi esset, mutaturus illud in aliam linguam (Mos enim ea tempestate literatorum erat, ut nomina sua Graece vel alia ratione converterent) transtulit, & Desiderius Erasmus appellari voluit. vid. *Dominic. Baudius in Centur. II. Epistol. 27.* Cum alios scriptores antiquos in deliciis habuit, tum maxime vero *Plutarchum* & *Lucianum*, scriptores elegantes ac perpolitos, quorum illi magnam eruditionis partem acceptam tulit, ut *Joannes Focanus* testatus est, huic vero Graecae elegantiae palmam detulit, & eum suavitate sermonis ipsi etiam *Demostheni* (quo tamen ne ipsas quidam Athenas magis Atticas fuisse *Cicero in Oratore ad Brutum* locuples auctor est) praestare, primumque ex Graecis scriptoribus evolvendum esse arbitratus est. Vid. *Erasmus de Ratione Studii.* Unde occasionem calumniae oblatam sibi putarunt adversarii ejus, a quibus alter *Lucianus* persaepe vocatus est, quemadmodum *Theophilus Raynaudus in Erotem. de bonis & malis libris p. 22.* retulit. Quantam autem injuriam hac calumniandi ratione Erasmo fecerint, res ipsa loquitur, tametsi non inficias iverim, eum facetum atque falsum fuisse, ut ex doctissima ejus *Moria* & colloquiis satis liquet. Quippe jocos & falso scribendi genere valde de-



lectabatur, quod etiam de *Cicerone*, de cujus jocis *Tullius Tiro* ipsius libertus, edito de eis singulari volumine, egit, nec non de *Poggio Florentino*, *Thoma Moro*, aliisque, quos silentio praetermitto, relatum legimus. Miserat aliquando Erasmus *Thomae Linacro*, doctissimo homini, epistolam metro trochaico scriptam, quae ita comparata erat, ut sagacissimus vir eam ligata oratione constructam esse non animadverteret. *Melchior Adamus* denique de eo observavit, quod piscium odorem ferre non potuerit, ut, quoties tali cibo usus fuerit, in morbum inciderit. Symbolum ejus, ut vulgo dici solet, fuit: CEDO NULLI, tradente *Jo. Jac. Hoffmanno in Lexico fol. 607.* pluribusque aliis, quod, licet multi in malam partem acceperint, eaque de causa Erasmus ambitionis arrogantiaeque infimulare ausi fuerint, animi ipsius magnitudinem satis declarat.

§. IV.

Ut tandem ad rem ipsam mentem appellam & de varia diversaque Erasmi fortuna, nec non de variis judiciis eruditorum de tanti viri meritis, verba faciam, ordior merito ab illis, qui eum vel injuria lacefferunt, vel iniquius de ipso existimarunt. Principatum autem inter illos tenere videntur ei, quorum incredibilem ignorantiam Erasmus castigaverat, quosque suo judicio ita irritaverat, ut omnem iram suam (ut cum *Terentio* ita loquar) in illum evomerent, omni que enterentur ope & opera, ut in existimationis discrimen veniret. Non dissimilis fuit fortuna ejus sorti *Jo. Reuchlini*, cujus tempore natae sunt *obscurorum virorum epistole*, quarum auctorem nonnemo *Joannem Reuchlinum*, alii vero, inque his *B. Morboffius*, *Ulricum Huttenum*, doctissimum Franciae orientalis equitem, fuisse existimarunt, quae cum in lucem exiissent, ita eos commoverunt, ut *Jacobum Hogostratum*, non infimi inter eos ordinis virum nimio doiori succumbentem e vita emigrasse memoriae traditum sit, ut ex *Jovio Christianus Kortholtus in Historia Ecclesiastica Sec. XVI. p. 717.* commemorat. Fama fuit, Erasmus levi morbo affectum, cum illas epistolas animi leniendi causa

causa legeret, nec ridendi modum faceret, subito se valetudine integra esse sensisse. Posteaquam autem hic liber publice a Pontifice Romano prohibitus fuit statim alius editus est, clarorum virorum epistolas continens, in quibus *Ortwinus Gratius*, qui inter Reuchlini adversarios excelebat, valde perstringebatur, quae de re evolvatur *Jo. Henr. Maji Vita Jo. Reuchlini*, ubi plura, & ea notatu dignissima legi possunt. Tamen si vero tot cum Reuchlino adversarios nactus fuerit Erasmus, nihilominus fortunae non succubuit, sed, cum ab ipsius causa doctissimus quisque staret, parum aut nihil eos moratus in sua sententia perseveravit.

§. V.

Hos quidem facile despiciebat nulloque loco numerabat Erasmus; id autem maximo potest esse argumento, multa ipsi adversa accidisse, quia multi, iique non leviter in literis versati viri partem ipsi laudem detrahere conati sunt. Male enim de eo censuit *Julius Caesar Scaliger*, qui graviter in illum invectus est, quem tamen postea contra Erasmus scripsisse poenituit, quod filius istius *Josephus Scaliger* postea ipse fassus est, licet hic etiam saepe de meritis ejus iniquum ferat judicium. *Hieronymus Cardanus* varia doctrina excultus, ut erat gloriae cupidissimus, eundem, quo sibi famam colligeret, laceffere ausus est, quod tamen non ex sententia successit; Siquidem ut reliqua omittam, *Gabriel Naudaeus* de isto narrat, quod prima ejus oratio, in qua illum insectatus fuerat, a pueris pedibus conculcata fuerit lutoque foedata. In illorum deinceps, qui laudi ac gloriae ejus inviderunt, numero Itali praecipue fuerunt, quorum multi, observante *Thoma Reinesio* inique de eo judicarunt. *Peronius* Cardinalis etiam debitam Erasmo laudem detrahere ausus est, quemadmodum ex ipsius judicio, dum scilicet illum in suis de Scriptoribus judiciis per saepe a veritate deflectere, & saepenumero vehementer labi opinatur, satis apparet. Nihil addo de *Mureto* & *Leopardo* quorum uterque multis illum nominibus reprehendebat, ut ea de causa venerint in invidiae suspicionem. Inter omnes autem, qui Erasmus vehementius in se

infectati sunt, principatum tenere videtur *Stephanus Doletus*, doctus quidem vir & literis haud leviter tinctus, sed qui nimia gloriae cupiditate flagrans nullam, licet improbandam, colligendae famae aut existimationis occasionem praetermisit. Enimvero ille per saepe de industria maledictis *Erasmum* laceffit, & merita ejus in rem literariam, quae universus pene orbis praedicat, male interpretatus est. Si *Florido Sabino* fidem habemus, *Doletus*, cum adhuc nulla existimatione floreret, ipse fassus est, constitutum sibi esse magni nominis virum aliquem perstringere, ut ea ratione nomen & gloriam consequeretur. vid. *Fr. Floridus Sabinus Lib. I. Lektion. subcis. c. 2.* Unam *Longolii* epistolam pluris faciendam putavit, quam omnes *Erasmi* libros, ut alia, quae huc pertinere videntur, missa faciam. Nec mirum, si quidem *Doletus* ex eorum fuit numero, qui in alios doctrina ornatissimos viros acerbius invecti sunt, quod ipsi vitium cum permultis aliis commune fuit, maxime vero cum *Petro Aretino*, *Joanne Bodino*, *Domitio Calderino*, *Emerico Cruceo*, *Laurentio Forero*, *Jacobo Gaddio*, *Jacobo Gretsero*, *Jacobo Gronovio*, *Nicolao Gruchio*, *Philippo Labbeo*, *Georgio Merula*, *Richardo Montacutio*, *Dionysio Petavio*, *Jo. Franc. Poggio*, *Ludovico Regio*, *Francisco Robortello*, *Florido Sabino*, *Claudio Salmasio*, *Josepho Scaligero* (quorum alias virtutes, & merita sermone omnium merito celebrantur) nec non cum *Cass. Scioppio*, *Alexandro Tassono*, *Laurentio Valla*, *Claudio Verdierio* & aliis. *Doletus* autem hoc non impune tulit, sed postea poenas dedit, & a *Julio Caesare Scaligero*, *Carolo Stephano*, & *Francisco Florido Sabino* castigatus fuit. Tametsi autem non sit eundem inficias, multa a *Doletus*, eaque gravia *Erasmo* fuisse objecta, nihilo secius tamen nemo diffiteri poterit, plerosque Pontificiorum Theologorum, multa, quae majorem levitatis notam inurere poterant, ipsi exprobrasse, & ut eidem aegre facerent, multis modis fuisse injurios, quae de re postea commodior erit dicendi locus. Ex eorum autem numero nonnulli errores in literis illi objicere ausi sunt, & non in postremis est *Philippus Labbeus*, qui vitio vertit *Erasmo*, quod in ea fuerit sententia, *Irenaeum* libros suo,
Latino

Latino sermone conscripisse. *Labbeus in T. I. Scriptorum Ecclesiasticorum* p. 639. Notandum hic duxerim, *Henricum Dodwellum in Dissert. V. ad Irenaeum* commemorare, quod id non asseveraverit, sed potius haeserit ac suspensus fuerit, quid hac in re, cum gravissimas dubitandi causas haberet, decernendum sit. Deinceps, ut Pontificios scriptores mittam, *Gvilielmus Saldenus L. I. de Libris varioque eorum usu & abusu* carpit Erasmus, quod in faciendis libris suis praeceps fuerit, quod tamen ei in componendis libris versatissimo facilius condonari debet, maxime cum ipse id fassus culpam in typographos nimium urgentes transtulerit. Paucis tandem *Joannis Clerici* mentio facienda est, qui nuper, pro sua judicandi audacia in *Arte sua Critica* illum in Geographia antiqua pene hospitem fuisse existimavit. Alii odio doctissimi viri flagrantem alterum *Lucianum*, (ut supra traditum est,) alii vero Poëtam per contemptum appellarunt, ut alia hujus argumenti silentio praetermittam.

§. VI.

Praeterea in numero Adversariorum Erasmi habentur *Martinus Dorpius, Jac. Faber, Eduardus Leus, Jacobus Latomus, Jo. Stunica, Beda Parisiensis, Petrus Sutor & reliqui*, qui magno studio eum insectati sunt, & quasi datum sibi negotium putarunt, ut laudem ipsi, qua possent ratione detraherent. Enimvero nemo in eo perstringendo & vituperando tenacior fuit Theologis Pontificiis, quippe qui, cum istius crebros de tot absurdis jocos & castigationes moleste ferrent, multis eum maledictis lacefferunt, non raro appellantes *Semi Christianum, Praecursorem Hereticorum, Lutheranorum signiferum & Principem* (ut *Jac. Stunica* eum nuncupavit), *scurram Batavicum, Arianum*, dignum qui ex omni hominum memoria erasus sit, *Hereticorum omnium pessimum* (ut *Marianus Victorius*, Episcopus Italus eum vocat,) & quae sunt alia hujus generis convicia. Notum etiam est tritum quorundam dictum: *Aut Erasmus Lutherizat, aut Lutherus Erasmusizat*. Tametsi enim non una mente & voce consenserint, in multis tamen a Lutheri doctrina non abhorrebat, quod ex in-

B

teger-

tegerimo ipsius de Luthero iudicio, quod praesente Saxonum Principe Electore Friderico tulit, plus satis liquet. Vid. *Seckendorff. Hist. Lutb. L. I. fol. 125.* & *Cbytraeus in Chron. Saxon. Lib. IIX. fol. 246.* Idem apparet ex literis ad summum hunc Principem datis, de quibus vid. *Sleidanus Lib. I. Comment. p. 30.* Qua in re inter nos & Pontificios plerosque convenit, cum ea de causa male apud hos audiat. Quae etiam causa fuit *Alexandro VII.* Pontifici Romano, ut plerosque Erasmi libros in Indicem librorum prohibitorum referret, eorumque lectione suis interdiceret. *Kortholt. Hist. Eccles. Sec. XVI. p. 719.* Quapropter *Joannes Ricardus* ante aliquot annos in ea fuit opinione, solius Erasmi auctoritatem obstare, quominus Protestantes, ut vulgo appellantur, doctrinae Romani Pontificis subscribant. Ne igitur hoc suorum commodis amplius officeret, librum confecit *de Sententia Desiderii Erasmi Rot. conformi sententiae Pontificiae circa omnia illa, de quibus hodie controversatur, qui Coloniae A.C. 1688. editus est.*

§. VII.

Pergo jam ad fata Erasmi feliciora, atque ad laudes summas, quibus clarissimi eum viri ad coelum extulerunt. Tantum primo honorem ipsi a Roterodamensibus habitum fuisse dicitur, ut publice in foro statuam ipsi ponerent, quam adhuc extare perhibent. Laudes ejus praecipue celebravit *Ludovicus Gvicciardinus L. I. Comment. p. 61.* salutans eum *omnium, quos sol vidit doctissimum, Musarum Phoenicem, antiquis non inferiorem.* In eandem fere sententiam loquitur *Thomas Reinesius in Variis Lectionibus,* qui nihil tam magnifice de illo praedicari posse arbitratur, quod ejus merita non superent. Praeter hos permulti alii optime de Erasmo existimarunt, maxime *Paulus Jovius, Gyraldus, Gifanius, Floridus Sabinus, Georg Richter, C. A. Rupertus, Petrus D. Huetius, Guilielmus Saldenus,* & caeteri, quorum alii eum *Varronem Seculi sui, & Germaniae Ciceronem,* alii *maximum literarum vindicem, aut seculi sui maximum Heroem* vocarunt. Summi in literis viri *Petrus Bemus, & Jacobus Sadoletus,* quorum uterque purpuram a Pontifice Romano adeptus est, eundem
in

in oculis tulerunt. Nonnulli primas ei in literis posthabitis reliquis concedunt, palmamque eruditionis ipsi deferunt, id eo, quia, ad quas rei literariae partes animum adjecerit, in eis vix ullam reliquis laudem reliquerit. Singulare profecto est elogium *Ludovici Masii*, ligato sermone scribentis:

*Fatale series nobis invidit Erasmus
Sed Desiderium tollere non potuit.*

vid. *Hoffmann. l.c.* Cum ob reliquarum doctrinae partium, tum maxime vero ob Graecae linguae scientiam, in qua nemini concedebat, summam laudem consecutus est, quam ejus doctrinam praecipue *Petr. Dan. Huetius*, magnum Galliae decus, praedicat, cui praecipue Interpretatio novi testamenti Erasmi valde probatur. Verba ejus haec sunt: *Quidam* (Interpretes) *intra novi s. lius Testamenti cancellos suam in interpretando industriam explicuerunt, quorum facile meo judicio Princeps est Desiderius Erasmus. Is ea felicitate hanc ornavit spartam, ut & verba verbis, & sententias sententiis, & saporem sapore exaequaverit, & perspicuitatem tamen cum dictionis castitate & nativo illo colore obtinuerit, quae ad integram interpretis laudem unice requirebamus. Quin etiam ubi propter Latinae linguae indolem, quod uno Graeci, idem pluribus exponere verbis necesse habuit, ascititia verba vario & insigni charactere depingi curavit, quo fidei suae integritas palam extaret. Inde adeo Leonis X. Pontificis Maximi diplomate commendari meritus est hic ipsius labor, & quae rerum humanarum varietas est, eodem nomine sigillatus est a multis, inter quos familiam duxit Petrus Sutor, pius quidem homo & doctus, sed neque doctrinae, neque acuminis, neque urbanitatis & elegantiae merito cum Erasmo componendus. Vid. P. D. Huetium de CL. Interp. p. 191. 192.* Quid quaeso poterat de Erasmo dici illustrius, aut magis memoria dignum, praesertim a Gallo, eodemque Romanae fidei adscripto, quorum paucissimi de illius meritis in literas summis candide solent existimare.

§. II. X.

Praeterea Erasmus in latinae linguae elegantia, quae eo tempore susque deque habebatur, omnes facile vicit, plurimumque in ea literarum parte potuit, ut doctissimorum etiam virorum summam excitaret admirationem. Quae de causa eo potissimum nomine a permultis commendatus est, ut, praeter caeteros, fecit notissimus Belgarum scriptor, *Guilielmus Saldenus*, in docto, *de Libris eorumque usu & abusu*, opere, in quo illius scribendi dicendique rationem *apertam, simplicem, modestiae plenam, doctam, eruditam ac perpolitam* appellat, & *nihil scabri contortique habere* censet. Cognitum enim probe perspectumque habebat prudentissimus Erasmus, incorruptam latini sermonis integritatem doctis viris magno semper ornamento, imo pernecessariam esse. Ab ineunte igitur adolescentia in ea doctrinae parte multum operae consumpsit, magnumque deinceps nomen in ista habuit, quod eo pluris faciendum erat, quo pauciores ea tempestate eleganter scribendi rationem tenebant, & licet multi postea eisdem studiis operati fuerint, paucissimi tamen ea laude & gloria floruerunt, inter quos ab aliquibus commendantur *Antonius Aemilius, Petrus Bembus, Augustus Buchnerus, Petrus Bunellus, Joannes Calvinus, Joachimus Camerarius, Joannes Casa, Joannes Caselius, Christophorus Longolius, Paulus Manutius, Rolandus Maresius, Philippus Melanchthon, Petrus Mosellanus, Marc. Ant. Muretus, Joachimus Perionius, Angelus Politianus, Jacobus Pontanus, Joannes Rivius, Carolus Sigonius, Joannes Scurmius*, & pauci alii, quorum tamen nonnulli, si omnia accurately judicio expendimus, ea laude non omni ex parte digni fuisse videntur. Quippe latina lingua ita semper fuit comparata, ut pauci verum ejus nitorem & elegantiam assecuti fuerint, de quo suo tempore Marcus Tullius conquestus est, quem *ex tot Romanorum oratoribus vix decem, in quibus latinitatem collaudaret, reperire potuisse*, tradit *Petrus Ramus in Ciceroniano p. 46.* In reliquis verae doctrinae partibus studiisque diu versatus est, & cum reliquarum rei literariae partium, tum anti-

qui-

qvitat̄is scientiam singularem consecutus magnam ex ea re laudem abstulit; qv̄od satis apparet ex doct̄issimo adagio- rum opere, in qvo, tanqv̄am omnis eruditionis thesauro, permulta occurrunt, qvae ad antiqv̄itatem illustrandam pertinent, qvae studiose exposuit, utilemque adeo operam harum rerum studiosis navavit. Reliqua, qvibus Eras- mus sibi gloriam laudemque comparavit, de industria mitto, tametsi ab instituti mei ratione non aliena esse vi- deantur.

§. IX.

Enarrata igitur breviter varia Erasmi in literis, & apud hos, qvi literis praefuerunt, fortuna operae pretium erit de libris illius, & qv̄id de eisdem doct̄i homines censue- rint, paucis dicere, ut inde eo felicius de varia Erasmi for- tuna sententia possit ferri. Conscripsit autem permultos, & eos melioris notae libros, qvi praestantissimis doctrina & iudicio viris valde probantur. Paulo ante traditum est, qvo numero *Huetius* habuerit doct̄issimam ejus interpre- tationem, qva novum Testamentum latine eleganter reddidit, cum qvo etiam aliorum omni doctrina ornatis- simorum virorum auctoritas facit; nunc igitur de reliquis ejus scriptis breviter differendum erit. Commendantur autem ex illis praecipue a *Josepbo Scaligero*, Adagia & Pa- raphrasis in novum testamentum, qva doct̄iorem librum a nemine, sive istius voluntas in Pontificem Romanum, ejusque decreta propensior sit, sive ille puriorem reli- gionem seqvatur, unqv̄am compositum esse, asseverare non dubitavit. Qv̄od iudicium eo maj̄oris aestimandum duxerim, cum fuerit ab eo profectum, qvi Erasmus ali- quoties insectatus est, qvemadmodum ex *Scaligerianis* creb̄o editis constat. Candido hoc Scaligeri iudicio alii qvoque steterunt, qvi laudi ejus favere visi sunt. Non in postremis fuit *Gerhardus Joannes Vissius*, a qvo omnibus fere aliis doct̄ior est habitus. Qv̄ippe merita Erasmi in

Novum Testamentum laudesque summas studiose celebravit, eoque nomine ipsum in literarum studiis non inferiorem fuisse arbitratur Scaligeris, quorum laudes ac virtutem *Heinsius* ad astra tulerit. Verba ejus haec sunt: *Heinsius magnifice extollit Scaligeros. Ait naturam quotidie homines parere non miracula, sed quid tota posset voluisse in utroque Scaligero experiri, inque bis duobus bis omnem vim suam esse periclitatam, quibus ego laudibus non invideo, etsi non arbitrer Erasmus eis fuisse minorem, praesertim quando cogito tempora, in quae hujus pueritia incidit, tum etiam, quam praeclare de novo testamento a tot sanctis Patribus meritus fit. Nec enim persuadere mihi possum minoris momenti aut fructus esse operam istam, quam quae subtilius vere quam verius adversus Cardanum Julius disputat, aut quae de re Poëtica vel causis Latinae linguae idem docet, praesertim cum ne filius quidem in iis, quae de Poëtis judicarat, parentis judicium sequendum putarit. vid. G. J. Vossii Epistolas fol. 117. Epist. 65.* Cum igitur libri ad Erasmo scripti tanti fuerint habiti, mirari desinamus, quod iidem magno studio & cupiditate coempti fuerint. Quamvis enim illi saepissime editi sint, brevi tamen divenditi fuerunt, ut alii editionem eorum iterare necesse habuerint, & locuples autor est *Joachimus Camerarius in Vita Eobani Hessi*, nullos eo tempore libros facilius venditos fuisse.

§. X.

Ut alia taceam, doctissimum Adagiorum opus, quod ipsi literatus orbis debet, doctissimi viri magno aestimarunt, & eis, qui ad perfectae eruditionis laudem aspirare cupiunt, magnopere commendarunt. Laudibus suis hunc librum ornare soliti sunt *Jo. Ludov. Vives, Joannes Focanus* & alii non vulgaris doctrinae homines, quorum laudes ac elogia singula commemorare brevitatis studio ductus supersedeo. De reliquo diffiteri nemo potest, quosdam in eo libro quaedam reprehendere auctores esse, inter quos *Georgius Hieronymus Welschius in Epistola de Scriptis suis epistolis Vossianis annexa*
fol.

fol.17. cenfuit, in eo libro multa legi, quae fententiae ve-
rius quam adagia appellari poffint. *Stephanus Doletus*, de
quo jam fatis dictum eft, quamlibet occafionem invehen-
di in *Erafmum* captans doctum hunc librum afpernari fo-
lebat. Quanti autem faciendus fit, ipfa adverfariorum in-
vidia teftari videtur. Quippe *B. Morboffius in Part. I. Polybi-
ftoris Lib. I. p. 250.* annotavit Pontificios *Erafmi* fummae laudi
invidentes doctum hunc librum *Paulo Manutio* adfcripfiſſe,
eademque de caufa in editione hujus libri *Coloniendi* omis-
fo *Erafmi* nomine *Manutii* nomen adfcribere non eru-
buiſſe. Et mirum, quod non *Aldo Manutio* eundem la-
borem acceptum tulerint, cum ea ratione facilius frau-
dem feciſſent. Nam, ſi *Jo. Jac. Hoffmanno* fides eft haben-
da, *Erafmus*, cum adhuc in Italia verfaretur, & *Adagio-
rum* opus *Bononiae* abfolviſſet, librum hunc *Aldo Manu-
tio* edendum commiſit. Vid. ejus *Lexicon Univerſale* fol.
607.

§. XI.

Tametsi autem omnia *Erafmi* opera crebro fuerint,
edita, nihilominus tamen praecipue de colloquiis ejus
memoriae proditum eft, ea faepenumero typographo-
rum literis eſſe deſcripta, & quo faepius hoc factum erat,
eo magis colloquia illa ab emptoribus fuiſſe expetita.
Moria ejus, ut ſingularis argumenti eſt, ita permultos affe-
cit, eoque ſibi libro *Erafmus* non minus admiratores quam
plurimos, quam adverſarios peperit. *Theophilus Raynau-
dus* (qui tamen incomparabili viro haud raro multa ex-
probravit) in *Erotem. de bonis & malis libris p. 22.* comme-
morat, ipſum *Erafmum* gloriari ſolitum Moriae ſuae
plusquam 20000. volumina a typographis excuta fuiſſe.
*Joannes Richardus in Libro de ſententia Erafmi ſententiae ec-
cleſiae Romanae conformi perſvadere conatus eſt, poenituiſſe
Erafmum ſenem, quod abusus & ſuperſtitiones in Moria ſua & in col-
loquiis tam acerbe perſtrinxiffet, atque ea haudquaquam ſcriptu-
rum*

rum fuisse, si futurorum temporum tempestatem exorituram praescivisset. Utrum hoc veritati consentaneum sit, aut potius autor opinionibus vulgi in errorem raptus fuerit, non satis constat, adeoque, cum animus in dubio sit, id in medio relinquendum duxerim.

§. XII.

Quam igitur fortunam Erasmus noster subierit, omnibus jam apertum est, adeoque dissertatio, licet in hac re multus esse possem, scribendique materia crescere videatur, jam absolvenda erit, maxime cum ex jam dictis de fortunae literatorum varietate facile possit existimari. Caeterum res ipsa loquitur, omnia, quae hactenus disserui, ad fortunam Erasmi literariam spectare, adeoque multa adhuc de fortuna ejus domestica posse in medium afferri. Quo praecipue pertinet, ut *Naudaeus* aliique commemorant, egestas ejus, & rei familiaris angustia, quae literatorum quasi propria esse solet. Quippe docti raro rem faciunt, sed per saepe in egestate vitam degunt, quemadmodum ex *Theodori Gazae*, *Franc. Philelphi*, *Martini Zeileri*, aliorumque exemplis constat, quae ut proferantur, instituti ratio non permittit. Accedit etiam, quod Erasmus non ex legitimo conjugio natus sit, quae nascendi conditio ipsi cum *Fulvio Ursino*, *Pomponio Laeto*, *Campano* multisque aliis, quos de industria mitto, communis fuisse perhibetur. *D. Baudius in Cent. II. Epist. 27.* Parentes Erasmi excusare conatur, & nil fere praeter ritus, qui in nuptiis adhibendi sunt, defuisse existimat. Plura non integrum est addere, quapropter finem dissertationi impono, Divinoque numini pro sua, qua nobis affuit, grata gratias mente humillima perfolvo.

•§ (O) §•

Q.N. 521,2

FO
LI

DES.

M. JO.

CH



Typ

B. m. II,



AE

UM

EROD.

HERO,

IX.

fischer/

Typogr.

12



Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Inches
Centimetres

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue